DE TYPHORUM MORBIS QUIBUSDAM SECUNDARIIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXV. M. JULII A. MDCCCXLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALBERTUS ARND
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

GUIL. SCHAARSCHMIDT, med. et chir. Dr.
ALBERT. FOUQUET, med. et chir. Dr.
ADOLPH. SCHILLING, med. et chir. Dd.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

CAROLO LICNKE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, BORUSSORUM PRAESIDII LUXEMBURGENSIS MEDICO SUPERIORI

PATRUELI DILECTISSIMO

NEC NON

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO

HAMMER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO,
OBSTETRICATORI ETC.

AMICO DE SE SUISQUE OPTIME MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum lege sit constitutum, ut pro doctoris gradu capessendo dissertatio scribatur, mihi quoque, licet debilibus instructo viribus, id audendum. Itaque Lector mihi sis judex benevolus.

Ceterum fieri non potest, quin Exp. Dr. Boeger, medico in instituto regio medico-chirurgico Friderico-Guilelmiano superiori, bibliothecae ejus directori, qui literatura communicata libere me adjuvit, maximae a me agantur gratiae.

Typhum esse morbum insidiosum omnes auctores consentiunt, ex quo, immensum quantis laboribus et vitae periculis tandem superatis, novis insidiis saepissime excipiuntur convalescentes. Felicissimi igitur praedicandi, qui sarti tectique evadunt, quum morti imminenti subterlapsi novam vitam sibi quasi induant. Nec fieri potest, quin hic in mentem occurrant Thucididis illa depingentis egregie pestem famosam Athenis grassatam. Qui quidem auctor refert convalescentes, quam dirissima perpessos alacri et sereno animo fuisse, laetos vigore reviviscentes rebusque humanis restitutos vitam recentem exoptatam salutasse; plena et sincera et gratissima novi roboris et sanitatis integrae perceptione fructos, intentiore studio et patientia officia quemque sua resumpsisse; iniquitatem quasi quamque naturae obstantem et insidiosam feliciter abstersam et funditus penitusque esse expurgatam. Una cum his instauratam esse in pectoribus humanis benevolentiae et charitatis facultatem, qua bene cuperent

hominibus nec aliorum miserias a se alienas putarent. Extemplo vires restauratas, corporum et animorum vigorem pristino saepe superiorem, jucundissimam voluptatum quarumque gustationem corpori paratarum, optimam concoctionem, torositatem multo majorem, animorum vero ad suaves et placidas emotiones insignem fuisse propensionem (1). Quae Thucydidea omnia Hildenbrando quoque ex typho reviviscenti, (Thucydides quoque ex peste superstes evasit) animo obversata esse censeo, disserenti de fortuna ex typho contagioso convalescentium.

Nec tamen saepissime ea vita gaudent, aut emergentibus in decursu typhorum malis exitabilibus secundariis, aut morbo finito residentibus quibusdam materialibus laesionibus, aut dyscrasia typhosa praedispositione ad nova mala praebita. Inter gravissimos tamen morbos secundarios typhi et abdominalis et petechialis habenda primo loco est Parotis, quam dicunt malignam.

1. DE PAROTIDIBUS MALIGNIS.

Processum typhosum ex acutissima sanguinis dyscrasia provenire, ea est sententia recentiore aetate non solum theoria et chemica analysi, pro tempore optima, sed etiam, quae plus valet, praxi ad evidentiam usque extri-

---

(1) Cfr. ea de re Franciscus Ochs: Artis medicae principes de curanda febre typhode. Lipsiae MDCCCXXX.

cata, quam qui prosecuti sunt medici assiduo studio in curandis typhosis, triumphos egregios, nobilissimos ex nosocomiis cubiculisque privatis deportarunt.

Dyscrasiae prae ceteris organis glandulas infestant, et quia laboratoria quasi corporis habendae, in quibus gravissimarum rerum elaboratio ponenda, et quia illarum extensio immensum quanta, omnibus, quibus fieri potest, viis illum dyscrasicum sanguinem et imbibit et elaborat. Primordio jam typhus abdominalis glandulas intestinales simulque mesentericas sedem sibi eligit, tunc ad glandulas salivales, rarius ad glandulas axillares et in inguine sitas glandulas descendere potest. Perpetuum quoque sunt pestis signum bubones, quo in morbo et Parotis saepius videtur, nec minus in febre flava Parotides apparent et bubones. Apud nos tamen, genio epidemio non respecto, Parotidum tumores in ea modificatione processus typhosi, cui inditum est nomen cerebralis, frequentiores esse videntur quam in abdominali.

Auctore Balling apud Louis (1) Schoenlein Parotidem polymorpham formam esse Erysipelacearum scrophulosam, bubones eam Syphiloideum, nostrumque tu-

---

(1) Anatomische, pathologische und therapeutische Untersuchungen über Gastroenteritis von P. Ch. A. Louis. Aus dem Französischen mit Anmerkungen von Dr. F. A. Balling. Bd. I. Würzburg 1830. p. 251.

morem malignum verum esse typhosum scrophulum non immerito contendit. Signa autem ejus characteristica haecce: apparet prae ceteris in glandulis cum cerebralibus nervis conjunctis, saepissime in glandula Parotide, tunc in glandulis sublingualibus submaxillaribusque, et quod raro, exceptione tantummodo fiat, in fovea axillari vel in inguine. Plerumque inoptatus Parotidum adventus crisium tempore, serius quoque, nunciatur hisce signis: queruntur aegroti dolorem sibi esse pungentem, dummodo mandibula moveatur, ejusque motum manducantibus sibi difficilem; exstare simul dolorem eundem in auri. Externa integumenta glandulae vehemente dolore affecta sunt, qui dolor manibus allatis valde augetur; nodulus sub cute exiguus, initio mobilis jam percipitur, super quo mox cutis obscure rubescit; nodulus tunc immobilis rapidissimo accrescit decursu, dolore una cum loci sensibilitate adaugescente, ad magnum tumorem. Quo tamen facto, typho cerebrali functiones cerebri liberas evadere, ex deliriis simul aegrotis expergefactis, in opere supra laudato eademque pagina contenditur.

At maligna ea Parotis fugax et caduca; etenim minutis paucis praeterlapsis jam collapsa, cerebrum ex templo iterum infestat. Raro quidem iterum fit; plerumque exitus lethalis; qua re sunt medici pristini commoti, Parotidum apparitionem ut signum lethale praedicarent. Eam

tamen sententiam medicus peritissimus, ingenio acutissimus, naturae morborum indagator sagacissimus Schoenlein non confirmat.

Aliter autem res sese habet in typho abdominali, quo in morbo Parotidibus intrantibus symptomata sublevari nullo modo videris; signum sunt ominis mali eoque pejoris, quo prius exsistant; nec cerebrum graviter affectum, nec abdomen, iis praesentibus, liberum redditur. Egregium e contrario symptomatum cerebralium, sopore simul aucto, fit incrementum; pressis enim vicinis vasis, refluxu ex cavo cranii impedito, plus sanguinis in cerebra stagnat; quam stagnationem coma aeque ac apoplexia serosa vel sanguinea facile negotio sequitur; susurrus admodum vehemens in auribus, una cum dolore pungente in collo, iisque quidem locis, quibus nervus vagus decurrit, percipitur; pulsus jam ex initio frequentiores magisque irritati; molestiae autem impedimentaque respirationis, praecipue pulmonibus, quod saepissime fit, famosa illa inflammatione correptis, nervo vago presso, hunc in modum adaugentur, ut paralysis ex illis orta miserae atque debili vitae finem exoptatum imponat.

Jamjam apparet, si vera, quae apud Louis auctore Balling (1) referuntur, in utraque typhorum modificatione diversum esse momentum Parotidibus vindicandum;

(1) In opere supra commemorato.

idque eo mirabilius, si concedas cerebralem atque abdominalem typhum eandem ejusdem sanguinis esse affectionem, loca tantummodo in diversa, nescio quibus conditionibus, directam, et si tecum consideres in utraque parotide et typhi abdominalis et cerebralis easdem pressus aliarumque id genus rerum praebitas esse conditiones. Itaque si verum, quod Balling tantummodo de typho cerebrali contendisse potest, levamen Parotidibus afferri, ejus rei explicatio audenda. In typho cerebrali, Parotidibus correptis, cerebro quasi derivatio praebetur, locus uti censendum, quo processus morbosus concentratur; verumtamen simile quid in typho abdominali non videtur. At ea Parotidum affectio in typho cerebrali, qua sublevatur cerebrum, simili modo an se habeat ac eruptio exanthematis in typho petechiali? Toxicon, venenum, ut ita dicam, ex loco correpto eliminatum alioque in loco depositum esse crederes, eamque ob causam liberas cerebri functiones; exanthemate enim efflorescente catarrhales et pectoris et faucium molestiae disparent, simul autem Parotis interdum intumescit. Jam quemadmodum in stadio ejus typhi maturationis et nervosa symptomata et febrilia, auctore Eisenmann, accrescant, evanescentis exanthematis resorptione, qua materies peccans, ut ita di-

(1) Die Krankheitsfamilie Typhus, Beschrieben von Dr. Eisenmann, Erlangen 1835.

cam, rursus in sanguinis circulationem revenit: ita disparente collapsa Parotide in typho cerebrali, in deterius vertuntur, ita apparente parotide in eodem typho in melius vertuntur. Bene compertum habeo claudicare omne simile; illa quoque claudicant, nam in typho petechiali exanthema est signum perpetuum, necessarie semper constitutum; Parotis autem est fortuitum, multi quum sine Parotidibus evadant; praeterea conditiones physicae eaedem.

Jam in typho petechiali, Eisenmanno judicante in opere jam memorato, vegetatio morbosa petit Parotides eo tempore, quo exanthema jam effloruit, vel ipsam ante ejus efflorescentiam; quas Parotides affectas, quia ante exanthema interdum emergentes, quodammodo proprii, ut ita dicam, juris sunt, nomine typhi parotidei ille complexus est. At si semel concessum, signum esse constitutum typhi petechialis exanthema, non est intelligendum, ea cur affectio proprio nomine sit exornata; secundaria igitur ea, etsi ante efflorescentiam exanthematis appareat. Nec tamen praetermittendum Parotides diversis tempestatibus majore frequentia emersisse, quam frequentiam, auctore Schoenlein, a genio epidemio erysipelatoso dependere virisimillum est. Ita in Nosocomio Juliano anno 1825 Parotis erat frequentissima. Sententia illa valde comprobanda, igiturque

eo magis illud nomen typhi parotidei rejiciendum, quum, si frequentes Parotides ex genio epidemio pendeant, facile fieri possit, ut omnes typhi singulus pro se quisque sint cum illis. Quam ob rem essentialis ea affectio non videtur, nec digna, quae proprio exornetur nomine.

Bubones typhosi rarissime nostra aetate animadversi. Teste autem Eisenmann (in opere supra commemorato pag. 511) refert Höchstetter (1), saeculo XVI et ineunte XVII typhum grassatum esse bubonibus carbunculisque eximium, solummodo diversum a peste lentiore decursu fortassisque minore mortalitate; quam formam Eisenmann vocat ambiguam inter pestem et typhum. Eodem loco narrat iste Lutetiae Parisiorum typhum incolas infestasse petechiis, carbunculis, bubonibus; prae ceteris autem dolorem quemdam in capitibus versatum esse carbunculosque in digitis naribusque provenisse.

Bubones autem iisdem fere signis externis ac Parotides intumescunt in peste. Haspere auctore (2) ita res sese habet. Priusquam tumor conformatus est, aegroti dolore ardente vel mordente illo in loco afficiuntur; semel autem ortus valde accrescit dolor tactu pressuque.

---

(1) Höchstetter: rarar. observat. med. Decades tres Augustae Vindel. 1624.

(2) Ueber die Natur und Behandlung der Krankheiten der Tropenländer von Dr. Moritz Hasper. Vol. II. Leipzig 1831.

Quum conformari incipiat tumor, digitis parvus, durus, rotundus, plus minusve profunde, plerumque sub cute situs, mobilis; cutis tamen nihil prominens colorem conservat naturalem. Glandula jam majore reddita, oblonga illius fit forma; immobilitas tunc, integumento cutis densato in circumscriptum abeunte tumorem. Externa verumtamen inflammatio nulla. Simillima descriptio, fere eadem Parotidum emergentium.

De Anatomia. Jam a me circumspectante res anatomicas huc pertinentes haecce afferri possunt. Louis (l. c. p. 249.) valde dolet a se praetermissam esse indagationem glandularum salivalium acutam; eo autem tempore, quo is scripsit, re vera rarissimae aves fuisse videntur Parotides, nec magnum momentum iis vindicatum. Exemplo enim p. 90 descripto, diebus quinque jam praeterlapsis, Parotidis dextrae tumorem ortum animadvertit, deque ejus cura nihil commemoratum in illo loco reperitur. Sectione instituta, Parotis illa visa est duplo major et interne et externe, colore flavido intermixto, rubida; sed in glandula interna magnus parvorum abscessuum numerus, in diametrum 1—2''' extensorum, qui abscessus partim solitarii, partim agminati pure flavido aut aurantiaco, oleoso impleti fuere, quod liberum sine septis interpositis substantiam glandulae propriam alluit; aliis autem locis, deficiente ea substantia, acinos glandulosos,

tela intercellulari ex rubro subnigra, plus minusve crassa minusque ductili quam naturali statu, separatos auctor invenit.

Pagina autem 107, primo mensis Decembris die in regione dextra parotidea intumescentia esse apud typhosum quemdam animadversa, initio parum crescens narratur; a die autem 14 ad 18 ejusdem mensis illam tantum incrementum cepisse, ut tumor die 18 incidi deberet, in quo fuisset magna vis puris viridis, inodori. De consilio capto ad illum tumorem curandum verba quidem legimus nulla (1). Sectione facta sedes puris tela cellulosa super glandula apparuit; Parotidem tamen ipsam intactam fuisse auctor refert, excepto abscessu quodam, magnitudine pisi.

Pringle teste Eisenmann lymphaticas glandulas circum Parotides circumjacentes sedem esse tumoris contendit; idemque vel simile aliquid a Wolmaro de bubonibus pestilentialibus judicatum esse affirmatur. Vera sola num ea sint, mox videbitur. Andral (2) enim plures Parotides descripsit. Sectionem fecit fabri tignarii cujusdam, cui Parotis dextra vehementissime dolens die typhi quinto provenit crescendoque usque ad mortem, die

(1) Opere supra citato.

(2) Die Krankheiten des Unterleibes von G. Andral, Bd I, übersetzt von Schechner, München 1822.

octavo intrantem, aucta est; in illa magna fluidi quantitas ichorosi griseique, cujus aliquid jam die mortis ex auri profluxerat, granulationes glandulosas disjunxit; sub concha auriculari parvus locus purulentus; specillo tamen eo immisso facili negotio fieri potuit, ut usque ad meatum auditorium internum provenires.

Secundo, quod refert, exemplo Parotis dextra die morbi 19 intumescens, jam insequente die enormem tumorem praebuit; intumescentia autem Parotidis, ut sectione extricatum est, maxima ex parte eo confecta fuit, quod tela cellulosa inter glandulae lobulos expansa fluido seroso-sanguinolento oppleta erat.

Tertio autem casu Parotis sinistra, aegrotae latere sinistro per morbi decursum fenestram versus directo, tumorem praebuit, qui tumor calidus, dolens, inflammatione telae cellulosae subcutaneae effectus perhibetur; 25 tamen hirudinibus appositis, aegrota rursus vitam salutavit.

Quarto exemplo Parotidem dextram die XX. intumuisse affirmat; die insecuto exstitisse jam magnam, vehementer dolentem, insuper cute rubescente; decem diebus tunc dilapsis enorme volumen Parotidis; die undecimo tumorem pure large profuso perforatum esse; tunc praeterea incisura facta, mox febre evanescente aegrotum sanatum esse.

Quibus omnibus comparatis sectionibusque fide data,

intumescentia et insequens puris elaboratio in tela cellulosa lobulos glandulares circumscribente plerumque nata judicanda est, rarius in tela super glandula sita. Nec praetermittendum denique, Parotides his omnibus, uno excepto exemplo, dextras fuisse, ut jam appareat saepius eas quam sinistras infestari.

De prognosi. Si opus est eruptione bubonum, carbunculorum, aliarum lymphaticarum tumore glandularum, ut pestilentialis morbi cujusdam character constituatur, nemo dubitabit, quin typhos cum Parotidibus, carbunculis aliisque quibusdam rebus, uti gangraena partium postremarum vel suppuratione telae cellulosae, correpta simul cute externa, perquam vulgo malignos censeat. Parotis critica fortassis collaudanda; periculosa tamen Parotis habenda

1) quo prius appareat,

2) quo magis sit caduca et fugax,

3) si duplex appareat,

4) conjuncta simul cum famosa illa pulmonum inflammatione,

5) quando aegrotus jam scrophulosus sit,

6) si semel orta assidue accrescat, nec mox in pus abeat; extinguuntur aegroti aut morte a cerebro aut a pulmonibus enata.

De cura. Si Parotide apparente, ut in cerebrali

typho supra teste Balling dictum, egregia fit symptomatum remissio, figenda ea est cataplasmatibus tepidis, emollientibus; verumtamen si in fugacem caducamque symptomatibus simul in deterius versis, convertitur, cataplasmata acria, tepida superimponenda.

Diversum in diversis thyphis Parotidum momentum inesse jam supra dictum, addique potest, omnino tumoribus glandularum in diversis morbis pestilentialibus. In febri flava refert Hasper (1) bubones et in inguine et fovea axillari saepius visos esse, plerumque quidem mortem indicantes; multo autem saepius esse inventas Parotides, prognosin quoque plurimum malam edentes. Et idem eodem refert opere (pag. 537.) in peste bubonibus carbunculisque extemplo post primum febris paroxysmum erumpentibus semper aegrotos aliquid sublevari, praesertim cum in suppurationem abeant; nec tamen criticas esse eas habendas, sed solummodo, si subleventur aegroti, naturalem vim morbo potentiorem esse credendam.

Ita ex diverso, quod exercent, momento fieri necesse fuit, ut in Parotidibus curandis diversa promulgarentur promulgataque, si sequerentur, medici modo despicerent, modo laudibus efferrent; factum quoque, ut falso momento illis attributo, perversa institueretur cura.

---

(1) Ueber die Natur und Behandlung der Krankheiten der Tropenländer von Dr. Moritz Hasper. Leipzig 1831 2 Vol.

Valentinus ab Hildenbrand (1), perscrutator acutissimus, Parotides omni modo esse contendit inoptatas et malignas et ipsas eas, quae criticae nominentur, vel potius quae sub finem veniant morbi. Semper a se eas quantum fieri potuerit, attenta atque cauta providentia evitatas et prima apparitione semper pro virili sua parte repulsas atque impeditas esse. Aqua frigida saepe assiduoque studio in primam glandularum illarum intumescentiam applicata, alvoque leniter purgata, rem saepe bene cessisse. Sin autem non poterit illarum incrementum reprimi, tunc cataplasmata acria, tepida, maturantia primo quoque tempore suppurationem, mox incisura facta, optima.

Schoenlein felicissimo cum eventu fortiorem illarum curam instituit. Primis jam signis tumoris hirudines admitti vult; tunc unguentum Hydrargyri cinereum cum Jodo, linteo extensum, insuper applicandum; debilitatis jam aegrotis, nihilominus iterum hirudines admittendas esse; incremento enim non impedito paralysin pulmonum effici. Si tamen fieri non possit, ut reprimantur, tunc una cum unguento illo cataplasmata emollientia, ex mica panis cum lacte confecta, species emollientes cum lacte applicandas. Pure tandem emicante abscessum caute,

(I) Joh. Val. Edler von Hildenbran'd über den ansteckenden Typhus. Wien 1810.

nec nimis celeriter incidendum esse; serius tamen incisum puris congestionem dimissionemque in loca inferiora maximo cum aegroti detrimento sequi; supra tamen abscessum incisum porro applicanda cataplasmata tepida, emollientia.

II. DE DECUBITU.

Commutationem sanguinis in typho recentiore tempore Andral, Gavarret, Simon optime pro auxiliis nunc praesentibus descripsere; quae commutatio sanguinis, seu dyscrasia typhoseptica praecipue his rebus continetur:

1) aquae quantitate adaucta sanguis dilutus;

2) fibrina diminuta sanguis eo magis dilutus;

3) albumen imminutum;

4) coagulatio eas ob causas diminuta sanguinisque massa mollis instar putridae consistentiae;

5) color, dissoluto Haematino, obscurior magisque in nigricans ductus;

6) ponderis est minoris sanguinis in typhosis;

7) salia, praecipue muriatica et sulphurica, diminuta.

In quibus commutationibus alia quoque typhorum, certe nostrorum posita sunt. Hoc loco tantum de musculorum insigni debilitate pauca afferenda, qua aegroti brevi tempore eo rediguntur, ut perpetuo resupinum ca-

pessant situm, ad pedes genibus flexis prolapsi, quem situm assidue retinent. Quo modo nascitur externis in partibus, quod internis in organis, prae ceteris in pulmonibus, saepe infausto exitu fit, hypostatica sanguinis dimissio. Huc accedit, ut ea dimissio sanguinis irritatione, quae partibus pondere corporis innixi communicatur, praedisposita sit; aut is quasi jam corporis mortui effectus habendus. Telae enim, ut ita dicam, involuntarie imbibunt fluidum, vegetatione admodum illo sanguine commutata. Simili modo fortassis ille obscurus rubor, colorem cerasorum imitans, in membranis internis et cordis et magnorum vasorum declarandus videtur; statu etenim vitali telarum, vegetatione impedita vel prorsus alia, perverso, praeterea tota vita collapsa, nihil obstat, quin censeatur exosmosin et endosmosin valde commutatam esse; leges quas sequuntur aliae!

Nec minus huc referenda insignis sanguinis typhosi propensitas ad suppurationem, inflammatione brevissima antecedente; non sola ea ex sanguinis stasi petenda, sed potius ex specifica quadam proclivitate ad suppurationem; hirudinum morsus facillime suppurant; vesicis cantharidum, quibus interdum medici quidam in typho assidue utuntur, processus neurophlogisticus enatus; cutem illis vesicis nudam cooperit membrana albido-grisea, magis magisque accrescens; qua remota vel arte vel natura ex-

cavatio ulcerosa, saepe profunda relinquitur. Partes autem, ubi sinapismi applicati fuerant, subito saepe gangraena infestatae; nec tamen alia adfuit causa quam irritatio ex sinapismo consecuta. Interdum partium externarum mortificatio praeter exspectationem. Ita visa ea in dorsis pedum, in digitis, in naso, in labiis pudendis majoribus et aliis in partibus.

Et ipsa in convalescentia illa proclivitas suppurationis apparet; morbus jam ex certis quibusdam signis finitus judicandus est, relicta tamen sanguinis quadam dyscrasia. A me ipso ex typho convalescens quidam visus, cui auris interna subito in pus abiit, quamquam inflammatio fere nulla antecessit. Disquisitiones circa sanguinis statum, qualis primordio sit morbi, valde collaudandae; at quo magis res ad convalescentiam convertitur, eo majus desunt nuntii de sanguinis qualitate; alias haud dubie sese habet, nam et ex illa suppuratione celerrima et ex urina prorsus commutata, instar spasmodicae visum praebente, conclusionem facere licet. Qualis ea cumque est suppuratio, impedimentum est, quo minus res celeriter bene cedat. Interdum decubitus cum diebus criticis congruit; aegroti sublevantur; itaque parum abest, quin credatur, materiem nocivam aliquam ex sanguine corporeque eliminari. Ceteroquin decubitu, quo intret cunque tempore, praebetur momentum ad dijudicandum

aegroti statum vitalem; inflammatione enim coloreque ejus emicante in cute circa partes decubitu infestatas, sanguis qualis fit, cognoscitur. Et ipso pure manifestatur qualitas sanguinis: nam dyscrasia magna typhoseptica ex pure bullae gase impletae emergunt.

Modus autem decubitus oriundi diversus est; modo ex irritatione externa videtur, modo ex praedispositione illa sanguinis ad suppurationem; quo in casu Chomel (1) refert, suppurationem spontaneam pustula parva formata incipere; qua rupta fluidum plus minusve limpidum exstillare, relicto parvo ulcere, quod sensim sensimque majus reddatur; esse eam suppurationem sine crusta ab auctoribus nominatam ulcerationem phagedaenicam. Saepius a me hancce visam referri potest.

Anatomia. Sedes illorum processuum morbosorum tela subcutanea cellulosa; primo rubor cutis erysipelaceus, simili modo ac in Pseudoerysipelate, deficiente tamen ejus adumbratione flava; tunc carbonisatio, (vide Eisenmann l. c.) postque eam eschara; finiuntur aut putrescentia aut eliminatione eschararum et suppuratione saepe profusa, qua febris hectica efficitur.

De prognosi. Plerumque decubitus, si non ma-

(1) Chomel: Ueber das Typhusfieber, in der Bibliothek von Vorlesungen der vorzüglichsten Lehrer des Auslandes, herausgegeben von Dr. I. Behrend. Leipzig 1836.

nifeste criticus apparet, haud quaquam collaudandus; vires scilicet et aegroti et convalescentis jam vehementer infestatae saepe exhauriuntur atque conquassantur. Itaque

1) eo pejor habendus, quo debilior jam aegrotus;

2) quo major ejus circuitus;

3) quo minus, quin progrediatur, impediri possit

4) quo prius appareat.

De cura. In aegrotis jam maciem magnam primordio prae se ferentibus ea est prophylactica; cubile oportet sit planum, sine plicis, elasticum eique linteum bene confectum superimpositum; situs aegroti saepe mutandus, tum in hoc latere, tum in illo, tum in dorso corporis pondus innitatur. Mundatio omnis assidue evitanda. Lavandae sunt partes maxime nisui corporis subjectae, ut scapulae, regio sacralis, femora, tali et aliae spiritu Serpentillae, vel alio id genus; supra partes ita lavatas corium sebo vel emplastro miti illitum sine plicis ortis applicandum. Sin autem decubitus non impeditur, resorptio fluidi in tela cellulosa subcutanea effusi raro effici potest. Suppuratio nata ex regulis chirurgiae modificanda; inflammatio circa partes eliminatas sit oportet nec synochalis nec torpida; mediam teneat viam, sit erethica. Valde comprobandus videtur usus lapidis infernalis; simulac primus decubitus appareat, locus affectus in toto circuitu lapide fortiter tangendus; quo modo mox et sine

damno aegroti decubitus refutatur. Nec tamen ullo modo praetermittendus virium respectus; adjuvandae prae ceteris cortice Chinae, vino, jusculis, lacte cum cortice Chinae conjuncto et alimentis, quae non solum facile concoquuntur, sed etiam mite nutrimentum praebent.

III. DE ERYSIPELATE.

Alius quoque morbus huc pertinens, a Chomel (1) tam lethalis habitus, quam Enterobrosis, est Erysipelas. Id enim saepe decursu tertiae periodi typhi apparet, visumque ab illo auctore quater in facie; mors mox secuta. Louis quoque quater idem Erysipelas descripsit, exortum in crure, femore, brachio; idemque refert tempore illud inde a die VI usque ad diem XXV ante exitum lethalem provenisse, aegrotos tamen typho succubuisse. In eo exemplo, quod accuratius pag. 313 sui operis describit, Erysipelas nostrum, jam quinque ex diebus aegroto vexato, in crure sinistro animadversum est, colore obscure rubro obducto. Faciem aegroti fuisse pallidam, nunciam gravissimi morbi; linguam autem aridam, villosam, flavescentem; die insequente scleroticam flavam esse redditam, nihil tamen profecisse Erysipelas illud in crure, tunc violaceum praebente colorem; die tertio majorem sinistri cruris exstitisse intumescentiam in toto circuitu; cutem

(1) Vide opus supra memoratum.

autem firmam, duram, eandem ac diebus praeteritis, faciem lividam, communem corporis colorem flavidum, pulsus valde acceleratos; deliria nocturna aeque ac diurna die quarto, volumen cruris diminutum, subnigri in sura atque in poplite; circa quas partes ruborem cuprinum, epidermidem degluptam fuisse refert. Postremo colorem istum flavidum majore cum intensitate exstitisse, dieque supremo characterem Erysipelatis manifestum fuisse.

Schoenlein autem id Erysipelas sic descripsit: subito intensum cutis ruborem videri, plerumque in antibrachio, rarius in integumentis abdominalibus, coccineum esse colorem; mox tamen eum converti in obscuriorem infiltratione contemporanea; febrem denuo incitari, cutem calidam reddi; esse hoc Erysipelas perquam malignum, horis triginta sex mortem jam supervenire. Nullo modo ita malignos habendos furunculos gangraenosos, carbunculorum similes, coloris lividi, coerulei, emittentes incisura facta pus ichorosum una cum bullis gase impletis.

Andral narrat aegrotum, Parotide disparente, ab Erysipelate repente infestatum esse; primo id apparuisse in regione nasali et buccali, tunc prorepsisse ad unum colli latus; celeriter hoc tamen evanuisse, nec periodos solitas percurrisse. Causalem nexum inter Parotidem et Erysipelas hic ponendum esse verisimile non videtur; at id pro certo habendum, Erysipelas nostrum ex genio epi-

demio dependere, vel ex singulis interdum propria dispositione.

Anatomia. Sectione facta aegroti, a Louis descripti, cutis sinistri cruris crassior inventa minusque mollis quam in reliquis partibus; tela cellulosa cruris infiltrata fluido limpido, seroso; globuli adiposi magis rubri, majores, firmiores quam in latere opposito. Ductus biliferi normales erant; lien triplo major, aliquid solito mollior; tubuli uriniferi postremi flavescentes. Cetera normalia. Elucere dicit Louis, aegrotum Erysipelati succubuisse.

De prognosi. Erysipelas nostrum permittit prognosin pessimam, nam est et ipsum saepissime perniciosum et suo exitu. Namque Louis vidit gangraenam secutam ex illo, qua extensor brevis digitorum pedis denudatus fuit; insuper extensa apparuit membrana, parum consistens, grisea; in circuitu ulceris toto cutis sublata a partibus subjacentibus. Is erat sine dubio processus neurophlogisticus. Erysipelas denique fugax solam pessimam admittit prognosin, quippe eo disparente paralysis organorum nobilium instat.

De cura. Cura hujus Erysipelatis sine dubio difficilis habenda, cum tam raro eveniat, ut aegroti salvi evadant; eoque difficilior, quum fortassis saepe commutationibus organicis in liene effectum videatur. Hasce au-

tem commutationes organicas sequelam esse Erysipelatis nullo modo constituendum, quum rapido ejus decursu haud quaquam fieri possit, ut lien tempore tam brevi commutetur. Mollior majorque lien in iis inventus, qui isti Erysipelati succubuerunt. Vide librum Andralii, plura ejusmodi exempla enarrantis.

Si causa Erysipelatis nostri manifeste ex ventriculo petenda, emeticum porrigendum ex Ipecacuanhae radice confectum, ne intestinorum inferiori parti nova etiam irritatio exsistat; ubi vero irritatio quoque organorum biliparorum nimis magna, ne emeticum quidem dandum; methodus curandi tunc sit sedativa. Turgescentia tamen in partibus inferioribus intestinorum praesente, Calomelanos usus an admittendus sit? In loco autem affecto Erysipelas figendum ejusque eruptio perfecta adducenda; id nimirum est principium in Erysipelatibus curandis, ut exanthema vel entexanthema vel affectio cutis externa, qualis ea cumque sit, necessarie apparens, in eruptione nullo modo profligetur, sed potius adjuvetur. Similiter sese habet entexanthema typhi abdominalis, etenim est processu morbi proprio constitutum. Sed cavendum, ne eruptione Erysipelatis destructio partium affectarum provocetur; suppuratione vel gangraena nihilominus exorta, cum cura chirurgica medica, in ratione posita, assiduo studio prosequenda est.

V I T A.

Hanc qui scripsit vitam Fridericus Guilelmus Albertus Arnd, Berolinensis, evangelicae fidei addictus, anno MDCCCXIX, tertio die mensis Martii natus est patre Joanne Berolini chirurgiam professo, et matre Maria e gente Neuendorff. Nunc patrem dilectissimum, proh dolor! dirissima morte ereptum plangit plangetque.

Elementis literarum imbutus adiit Berolinense gymnasium Leucophaeum, quod directore beato Koepke florebat, nuncque directore Ribbeck floret, in quo per annos duos et dimidium versatus, testimonio maturitatis instructus, inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus est anno MDCCCXXXIX mense Septembris, et per quadriennium virorum illustrissimorum et celeberrimorum interfuit scholis hisce: Cel. Benecke de logice et psychologia, Ill. Link de botanice et historia naturali, Cel. Preuss de historia, Cel. Turte de physice et pharmacia, Ill. Mitscherlich de chemia et organica et anorganica, Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, de anatomia organorum sensuum, Ill. J. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum et comparata et pathologica, nec non de physiologia. Ducibus Ill. Mueller et Ill. Schlemm arte cadavera rite secandi instructus est.

Praeterea has frequentavit scholas: Cel. Mitscherlich de materia medica, Beat. Osann de fontibus medicatis, Cel. Eck de psychologia, de pathologia et therapia generali, semiotice, Ill. Juengken de chirurgia speciali, Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi, Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali, Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris, de medicinae historia, Cel. Kluge de arte fa-

scias chirurgicas rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte obstetricia et de akiurgia, Cel. Froriep de akiurgia et de operationibus in corporibus mortuis exercitandis; Exp. Angelstein de operationibus ophthalmiatricis.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico-forensibus interfuit virorum illustrissimorum et celeberrimorum Schoenlein, Wolff, Barez, Dieffenbach, Juengken, Kluge, Casper, Wagner.

Facere non potest, quin omnibus his viris honoratissimis maximas agat gratias, gratumque erga eos animum semper habeat.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite absolutis, sperat fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi et medicinae et chirurgiae honores in se conferantur.

THESES.

1. Inflammationes occultas non existere.
2. Trepanationem prophylacticam esse rejiciendam.
3. Generationem aequivocam omnino esse reprobandam.